





1704, 11  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, 1 23  
25

DE

REMISSIONE  
DELINQUENTIUM  
AD LOCUM PERPETRATI  
DELICTI,

*Quam*

Approbante Magnifico JCTORUM Collegio in Alma & Peran-  
tiqua Electorali Academia Erfurtenfi

SUB MODERAMINE

*Praenobilis, Amplissimi & Consultiissimi,*

DOMINI

JOANNIS MATTHIÆ  
WINCOP,

p. t. Collegij Juridici DECANI, Phil. & J.U.D. Prof.  
& Praefecturae Electoralis hujatis Consulentiſſi,

PRO

*Summis in Utroque Jure HONORIBUS, & PRI-  
VILEGIIS DOCTORALIBUS*

*legitimè conſequendis,*

Solemni JCTORUM Disquisitioni in Auditorio Juridico  
Collegij Majoris ſubmittit

JOHANNES FRIDERICUS GRABO, Junior,

Saxo-Eiſlebienſiſſi ibique Advocatus,

Ad diem 29 Aprilis, 1704.

ERFORDIÆ,

Excudebat JOH. HENR. Groſch / Acad. Typogr.



NOBILISSIMO ac PRUDENTISSIMO  
DOMINO  
DN. PHILIPPO  
ANDREÆ

 Schilling/

MERCATORI CELEBERRIMO, ET  
CURIÆ BEROLINENSIS p. t.  
CAMERARIO


*DOMINO AVO PLURIMUM COLENDO,*

Hanc pro Gradu Licentiaturæ habitam  
Dissertationem

Ex filiali devotione atque obsequio Sacram esse  
jubet Autor,

NOBILISSIMO ac PRUDENTISSIMO  
DOMINO

DN. PHILIPPO  
ANDREAE



MERCATORI CELEBRISSIMO, ET

CURIAE BEROLINENSIS p. l.

CAMERARIO

DOMINO ac PLURIMUM COLENDO,

Hanc pro Gradui Licentiarum habitam

Dilectionem

Et hanc de ratione bene obediatis Sacram esse

HONORATISSIME MULTUMQUE VENERANDE  
DOMINE AVE,



Pietas & justitia, uti pro vera  
Reipublica Status ratione ha-  
bentur; Ita & Status domesticus  
familiarumque per pietatem &  
obsequium conservatur. Hac  
sunt quae Tu, venerande Domi-  
ne Ave, pro norma domestica semper habuisti:  
dum toti familiae tuae exemplis praerivisti, ac in me  
nec non sorore meâ Jobanna Sophia, verum pietatis  
documentum probasti. Teneritatem enim aetatis  
vixegressi, tua benignitate experti fuimus; si-  
quidem magnis certe sumptibus privatim in litera-  
rum artibus, atque linguae me instrui curasti, nec  
minus studia mea Academia tua largitate fovisti:  
Sorori autem meae donec matrimonium cum Dn.  
Schul-

*Schultio, Mercatore Berolinensi celeberrimo  
contraxisset alimenta suppeditasti. Pro tantis  
beneficiis jamdudum gratias debitas Honoratissi-  
me Domine Ave, cum devotione & obsequio Tibi  
referre debuisssem. Quoniam vero partim dele-  
tamenta militaria, partim practica studia, de  
specimine edendo cogitationes formare haec nus  
impedimento fuerunt; denique tamen hoc disser-  
tationis opusculum ad Te, plurimum colende Ave,  
ut signum gratitudinis reverti volui. Suscipe ergo  
Honoratissime Domine Ave praesentes cum devo-  
tione tibi consecratas chartas vultuque benignis-  
simo intueri, errata vero juvenilia ignosce, & ut in  
posterum de gratia tua vivere possim concede.  
Summum in posterum Numen supplex venerabor,  
ut Te Honoratissimamque Aviam quam divitis-  
sime sospitet, conservet, ac ex voto vivere sinat.*

HONORATISSIMI MULTUMQUE VENERANDI  
DOMINI AVI,

Erfordi, die 29. April, 1704.

Obsequiosissimus Nepos

JOHANNES FRIEDERICUS GRBAO, jun.






I. N. J.  
**PROÆMIUM.**



Sicut Quilibet de arte sua cui à teneris usque incubuit specimen edere solet, ita & mihi placuit, pro supremis in utroque jure honoribus ac Privilegiis Doctoralibus capessendis aliquot Exemplum de studiis, olim in Academiis profectis, publicum proferre. Quare & quia jam per aliquos annos Praxi Advocatoriæ operam dedi; materiam hanc de remissione delinquentium præprimis elegi. Sperans quia hæc in foro per utilis ut à quovis Lectore benevolis oculis nihilque à mente mea alienum accipiat. Si vero errantem quis me deprehendat, quæso Zoilea virgula me non notet sed modeste corrigat, quia errare humanum; siquidem à puero anniculo edoceri cum Sebast. Guazzin. in Præfat. ad defens. Inquisit. n. 42. non erubescō.

Pars



## PARS. I.

- Quest. 1. Quid sit Remissio delinquentium*  
*2. in quibus delictis locum habeat*  
*3. Quis*  
*4. à Quo* } *peti debeat.*  
*5. Et quibus modis*

*Quest. 6. Delinquens si fugiat in aliam jurisdi-  
 ctionem, an in ea capi possit à familia cum  
 insequente.*

### *Quest. I.*



Remissio delinquentium ita in jure  
 nostro nobis describi videtur, quod  
 sit avocatio criminis rei, alibi vella-  
 titantis vel deprehensi, ad locum  
 perpetrati delicti, ut ibi legitimis  
 suppliciiis subjiciatur L. 7. ff. de cu-  
 stod. & exhibit. reor. Novell. 143.  
 cap. 5. ibique Stephan.

*Quest.*

## Quaest. II.

Non semper in omnibus delictis Remissio locum sibi vindicat. sed saltem in majoribus & publicis non vero Levioribus & privatis L. 3. in pr. ff. de re militar. Jul. Clar. lib. 5. sentent. quaest. 38. n. 23. Carpz. lib. 2. resp. 26. n. 19. neque ibi ubi civiliter agitur pro crimine & hoc sive sit leve sive gravissimum: Prosp. Farinac. in prax. crim. lib. 1. quest. 7. n. 37. Jul. Clar. loc. citat. n. 24. nam quando agitur civiliter pro crimine, etiamsi ipsa actio ex crimine oriatur, nihil tamen commune habet cum criminalibus, nec ad puniendum reum procedendum est, nec remissio locum habet allegat. Farinac. & Clar. quare etiam in causis Injuriarum remissio peti nequit, quia Injuria inter delicta privata referuntur: Lat. tit. Instit. & ff. de Injur. nisi persona publica ratione & contemplatione officij, Injuriis fuerit lacescita, quia & tunc inquisitio locum habet, & delinquentes remittendos esse affirmare videtur Carpz. lib. 2. resp. 26. n. 19. & 20.

## Quaest. III.

Et generaliter dicitur istum judicem remissionem petere, qui aliquam in reum habet Jurisdictionem, puta ratione Domicilii, vel ratione perpetrati delicti; cum in causis criminalibus forum sit triplex, domicilii, perpetrati delicti, & deprehensionis: Carpz. in prax. crim. p. 3. quest. 110. n. 8. Nos tamen affirmamus ex L. 1. §. 2. ff. de requirend. & absend. damnand. L. 28. §. 15. de penis Novell. 134. cap. 5. una cum Steph. ad dict. Novell. & Carpz. in Prax. crim. p. 3. quest. 110. n. 48. Solum perpetrati delicti judicem hoc casu praeferrere, quia forum delicti omnia alia superat, & principaliter dicitur: Jul. Clar.

*Clar. lib. 5. sentent. quest. 38. n. 19.* ita ut de jure communi, alii judices teneantur, delinquentem ad locum delicti remittere, ubi vero nolunt ad id coguntur à superiore modo isti fuerint legaliter requisiti, ad hunc effectum, ut ibi contra eum procedatur & is puniatur, etiam si ad jus dicendum se paratos dixerint. *Lang. de excep. p. 2. cap. 1. n. 247. Carpz. in prax. crim. p. 3. quest. 150. n. 48.* & hoc non sine ratione, tum quo certiores probationes, giudice quasi in re presenti cognoscente haberi possint: *Novell. 96. cap. 1. §. 1.* tum quod locus delicti est violatus, & exemplo terrendi sunt alii, ut à criminibus committendis abstineant; atque exemplum poenae non tam commodè statui possit in loco alio, quam in quo exemplum delicti commissi est datum *Herm. vul. rej. in L. 1. n. 15. C. ubi de crimin. agi oport.*

#### Quest. IV.

Jam modo diximus solum judicem fori perpetrati delicti remissionem petere posse; Nunc vero oritur questio, à quo peti debeat, & responderetur à quocunque, ubi reus vel latitat, vel deprehensus est: nec nos movet sententia Bossii: *intit. de for. competent. n. 52. seqq.* ubi dicit remissionem locum non habere, nisi iudex à quo petitur, habeat Jurisdictionem capiendi ipsum reum & procedendi pro illo, quia Leges & observantia fori contrarium testantur: *L. 1. §. 7. C. de defens. civitat. Proff. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quest. 7. n. 27. §. pro contraria autem: Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 38. n. 22. ubi Bossius ab ipso refutatur: sufficit igitur si ille qui petit Jurisdictionem procedendi contra reum habeat.*

Quest

## Quaest. V.

Petitur autem remissio (1) vel per edictum publicum, durch einem öffentlichen Anschlag: L. 1. §. 2. ff. de requirend. vel absent. damnand. Novell. 134. cap. 5. & hoc inter triduum zu dreymahlen / L. 10. ff. de public. judic. Steph. ad Novell. 134. cap. 5. in foro Saxonico hoc inter tres quaterdenas olim fiebat, von 14. Tagen zu 14. Tagen dreymahl / Landtr. lib. 1. art. 67. ibique gl. sub. lit. d. sicuti vero ista trina citatio in terris Saxonis tam in criminalibus, quam civilibus plane est abrogata adeo ut pro istis tribus una, quæ tantundem temporis spatium, quantum tres illæ contineant, nempe sex septimanarum & trium dierum à tempore factæ insinuationis & affixionis retineat: Churfürstl. Sächsl. Process. Ord. tit. 10. §. in Fall aber: Cbilian. König: in Process. cap. 27. ita & moribus hodiernis delicti reum absentem, iudex edicto publico in tribus diversis trium Dominorum territoriis citare solet. Carpz. in prax. crim. p. 3. quaest. 110. n. 47. quod tamen eo saltem casu obtinet, si reus non habet certum locum residentiae, vel latitat. Coler. de process. execut. p. 3. cap. 7. n. 30. (2) petitur reus per epistolas publicas jam allegat L. 1. §. 2. ff. de requirend. vel absent. damnand. Novell. 134. cap. 5. ubi tamen notandum, quod tales epistolæ publicæ inter practicos vulgo dicuntur literæ subsidiales & subsidiariæ, item literæ mutui compassus, quibus iudex unus alterius opem implorat, ut reum remittat Stephen. ad Novell. 134. cap. 5.

## Quaest. VI.

Etiamsi verum, quod deliquens si reperiat in flagranti crimine capi possit, ut ait Bossius in tit. de citat.

n. ii. tamen hōc non procedit in reo criminis, ad aliam Jurisdictionem confugiente is enim extra territorium capi non potest, captus vero remitti & relaxari, etiamsi insequi eum statim à principio in suo territorio cœperint & consequenter nec ab eo iudice, qui capturam decrevit puniri: *Jul. Clar. lib. 5. sent. quest. 29. n. 10. Bossius in tit. de captura n. 34.*

## PARS. II.

*Quaest. 1. Quotuplex sit remissio*

*2. An adhuc hodie necessaria*

*Quaest. 3. Remissio an per consuetudinem possit tolli*

*4. An indifferenter iudex requisitus delinquentem extradere debeat*

*5. Vagabundus an ad locum delicti sit remittendus*

*6. Si iudex domicilij absque requisitione captura prævenerit, an & tunc remissioni locus*

*Quaest. 7. An iudex superior in criminalibus delinquentem in territorio, ubi aliquis habet bassam Jurisdictionem, eo irrequisito prebendere & captivum ducere queat.*

*Quaest.*



Ost posita parte prima statim nobis considerandum venit, quotuplex sit remissio, & dividitur hæc in necessariam & voluntariam *Serub. in Syntagm. Jur. civil. ex 49. tb. 11.* necessaria dicebatur olim tam ex constitutione justineani, quæ ad juris necessitatem traducta est uti ex *Novell. 134. cap. 5.* videntur, principaliter vero ibi ex verb. *dict. Novell.* jubemus &c. quod verbum jubemus est verbum necessitatis, *L. 1. § 2. ff. quod jussu: Dambud. in prax. crim. cap. 33. n. 1.* tum quia unus Princeps toto Imperio Romano præerat, cujus jussui omnimodo parendum: *Carpz. in prax. crim. p. 3. quest. 110. n. 53.* ad melius tamen hanc alteram quæstionem intelligendam.

## Quest. II.

Cum Doctoribus ita distinguere volumus, utrum judex domicilii & perpetrati delicti eidem Principi sint subjecti vel non, si sint subjecti, omnimodo alter ad remissionem tenetur: *Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 7. n. 21. Proff. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quest. 38. n. 25. 28. § 29.* & si detrectat Principem remissionem demandare posse: *Brunnem. in Process. crim. cap. 3 n. 7.* contrarium tamen in foro Saxonico quoad Praxin hodiernam observari meminit: *Carpz. in Prax crim. p. 3. quest. 110. n. 54. segg. ordinat. Provincial. de anno 1555. subtit. Daß man die Uebelthäter nempe remissionem delinquentium porro non esse necessariam, sed voluntariam, &*

B

uiba-

urbanitatis, modo ne (1.) reus in Praefectura aliqua Electorali in ein Churfürstl. Vmbt / in qua Quaestor sive praefectus vices Principis tenet, deliquit: (2) in loco delicti delinquente deprehenso inquisitio formata; causa criminalis ventilata, & sententia jam lata fuerit, iisque peractis reus aufugiat: (3) si iudex alii iudici remissionem petenti sub Antichrapho, seu literis reversalibus, auf einen Revers jam antequam delinquentem tradidit, tunc & Principe istud postulante, & ne sententia lata eludatur, seu frustraria reddatur, pactaque conventa serventur, remissio omnino fieri debet *allegat. Carpz. n. 54. usque 63.* ubi pro tuenda sententia magnum agmen Dd. allegat.

### Quaest. III.

Ad hanc quaestionem plane affirmative respondetur cum Damhud: *in prax. crim. cap. 33. n. 17.* & Bossio *in zit. de foro competent. n. 55. seqq.* ubi dicit quod haec consuetudo ita sit introducta, si remissio nempe saepius fuit petita, & denegata, eam vero consuetudinem non valere, nisi in eo loco contra reum procedatur, & fiat iustitia.

### Quaest. IV.

Sed iudicis officium est in remissione delinquentium praecautè agere, ne omni omnino iudici delinquentem extradat, antequam (1) de Jurisdictione ipsius requirentis satis sit informatus, puniendive potestatem habeat nec ne (2) an delictum ab eo, cuius remissio petitur, vere aut vero similiter sit commissum, quare iudex requirentis non tenetur sequi vanos & Injustos appetitus requirentium, sed debet summarie cognoscere de delicto;

nam



nam ubi non præcedit suspicio criminis, ibi neque reum capere, nec captum remittere debet *Prosp. Farinac. in Prax. crim. lib. 1. tit. 1. n. 34. & 35. Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 38. n. 2.* alias adhuc notandum, quod quando iudex requirens, reum sibi transmitti jam ante iudici requisito informationes super delicto ad inquirendum communicasset, tunc & quia tacite in ejus Jurisdictionem consensisse censetur, amplius illius carcerati remissionem petere nequit *Farinac. loc. jam dict. n. 4. Bossius in tit. de for. competent. n. 71. porro.*

#### Quæst. V.

Judici observandum venit, quod quemlibet delinquentem ad locum perpetrati delicti remittere non sit obstrictus, vagabundum nempe, quia iste de delicto commisso, in quolibet loco puniri potest in quo invenitur: *Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 39. n. 7.* is autem dicitur vagabundus, qui per mundum vagatur, & nulli habet certum domicilium in quo habitat. *Clar. loc. jam. dict. Boss. in tit. de for. competent. n. 70.*

#### Quæst. VI.

Hac in parte adhuc quæstione dignum esse puto, an iudex domicilii, si absque requisitione captura prævenit, an & tunc remissioni locus, & respondetur, quod in tali casu nullo pacto teneatur captum delinquentem extra suum territorium ad iudicem loci delicti remittere, sive prævenit per viam accusationis, sive etiam per viam inquisitionis: *Prosp. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quest. 7. n. 23. ubi Jacob. de Ravenna. socin. & Clar. in pract. pro se allegat.*

## Quaest. VII.

Sicut Magistratus sententiam suam directe in alterius territorio executioni mandare nequit, sed loci illius magistratus auxilium implorare debet ut ait *Gail. lib. 2. de pac. publ. cap. 17. n. 35.* ita & quidem putant, iudicem superiorem propria autoritate delinquentem neque capere, neque exterritorio, ubi alius bassam habet Jurisdictionem, captivam ducere posse, quia nemini fas sit, absque consensu alterius Jurisdictionem violare: *cap. 1. de offic. ordin. in sexto: c. 1. §. volumus: de for. compet.* sicut autem hoc saltem intelligitur de eo, cui plane nulla Jurisdictio aut jus competit, & tamen alterius Jurisdictionem violare velit, sic superior etiam ad hanc regulam non est obstrictus ut ait *Carpz. in prax. crim. p. 3. quaest. 109 n. 84.* ubi sententiam *Scabin. Lipsiens. n. 85. de anno 1596. pro se allegat.*

## PARS. III

Quaest. 1. Remissio an à delincente ipso peti possit.

Quaest. 2. Quibus sumtibus fieri debet

3. Si agitur de pluribus delictis ab eodem commissis an & tunc remissio fieri debeat

4. acta coram iudice remittente facta an fidem faciant coram iudice ad quem remittat delinquentem

5. Remissio an à superiore ad inferiorem fiat, & an concedatur antequam petatur.

Quaest.

*Quaest. 6. absolutus seu condemnatus à crimine civiliter intentato an possit iterum de eodem crimine criminaliter accusari.*

*Quaest. I.*



Eum ipsum remissionem sui ad iudicem competentem petere posse, nemo est qui ambigat, quod & docet *Prosp. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quaest. 7. n. 39. vers. quid si remissio: Carpz. in prax. crim. p. 3. quaest. 110. n. 67.* modo persona

delinquentis sit privilegiata, ita ut jure speciali ab ordinaria Jurisdictione sit exempla: *Pet. Heig p. 2. quaest. 23. Bertazz. cons. crim. 52. n. 11.* ut sunt studiosi, qui propter delictum commissum, non nisi coram Rectore Magnifico Academiae accusari possunt. Auth. habita *C. ne fil. pro patr. Carpz. lib. 2. resp. 32. n. 18.* ubi de privilegio Academiae & Studiosorum Lipsiensium refert, quod hujus Academiae membra, non tantum in urbe Lipsia deprehensa, sed & extra ad tres diœtas à Magistratu loci capta, Reктору avocanti cognoscenda, puniendaque remitti debeant (2) milites qui ratione delicti, quod militiam concernit, apud Magistratum militum sunt conveniendi: *tot. tit. C. de offic. magistr. milit. L. 9. ff. de custod. & exhibit. reor. L. 3. in pr. ff. de re milit.* (3) officiales Principum, qui in civitate delinquant, ubi Princeps curiam habet, à Magistratu oppidano, licet is

inibi, tam superiore quam inferiore Jurisdictione munitus sit, puniri non possunt *Peter. Heig. p. 2. quest. 25. n. 13. seqq. Berlich. p. 1. conclus. 2. n. 32. sic (4) & Clerici coram suo Episcopo, pro modo & diversitate delicti, alia atque alia pœna veniunt plestendi cap. at si Clerici. de judic. cap. 1. cap. si diligens. eap. postulasti. de for. competent. Zang. de except. p. 2 cap. 1. n. 227. non vero coram laico judice, quamvis in ejus terrectorio deliquerint: cap. si competens. X. de for. competent. Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 36. n. 1. 2. & 25. (5) Legatis in Legatione existentes, jus revocandi domum de jure gentium competere asserit *Hug. Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 18. §. 4. n. 5. quod tamen hodiernis moribus aliter se se habet L. 24 §. 1. ff. de judic. Theod. Reinking. in tract. de regim. secul. lib. 2. clas. 2. cap. 17. n. 106. Fried. Marscler. Legat. lib. 2. dissert. 13. p. m. 357.**

### Quest. II.

Semper remissio fieri debet, expensis remissionem petentis, non vero requisiti judicis: *Prosp. Farinac. in Prax. crim. lib. tit. 1. quest. 7. n. 39. vers. si vero remissio: Carpz. p. 3. quest. 110. n. 67. quare & si incarcerationis ipse remissionem petat, tunc & ad expensas in remissione factas, est obstrictus: Menoch. de arbit. judic. cas. 228 n. 7. & 8. Carpz. in prax. crim. p. 3. quest. 110. n. 67. ita, ut si petens remissionem, expensas recuset, judex requisitus, neque remittere, neque de suo expendere teneatur, nisi carceratus petat, isque solvendo non esset, tunc vel expensis instigatoris, vel curiæ fieri debet. *Prosp. Farinac. in Prax. crim. lib. 1. tit. 1. quest. 7. n. 39.**

Quest.

## Quest. III.

Nullum mihi est dubium, quare non affirmare ve-  
lim, & tunc remissioni locum esse si de pluribus ab eo-  
dem commissis delictis agatur, tum quia (1) textus in-  
venitur expressus in L. 7. §. 5. ff. de accusat. & inscriptis  
ubi postquam cognovisset de crimine in sua provincia  
admisso, reum in aliam provinciam remitteret, ut &  
alter finiat suum processum: *Bossius in tit. de for. com-  
petent. n. 58. Jul. Clar. lib. 5. sentent. quest. 38 n. 26.* quod  
tamen allegat. Clar. ita limitat, si sunt sub eodem Prin-  
cipe.

## Quest. IV.

Uti nunc in omni casu, ubi à non competente ju-  
dice Processus fuerit fabricatus, ei standum non est, per  
L. 4. & tot. tit. C. si à non competent. judic. ita & in eo,  
in quo remisso delinquentis conceditur, Processui judi-  
cis remittentis judex requirens stare non debet sed no-  
vum formare: *Guid. papa decis. 102 n. 6. & decis. 419. n. 1.*  
nisi judex remittens etiam sit competens judex delin-  
quentis remissi, quo casu & quia uterque judex proce-  
dere poterat, remissioque sit facta ex urbanitate tunc ra-  
tio incompetentiæ cessare videretur & factò Processui per  
judicem remittentem omnimodo standum modo judex  
requirens acta à priore judice facta, delinquenti de no-  
vo recenseat: *Prosp. Farinac. in prax. crim. lib. 1. quest. 7. n. 43.* ubi in sublimitatione prima istud adhuc addit,  
quod quidem processus à non competente judice factus,  
quoad testes, scripturas, alia jura, acta, & producta fa-  
cta, à judice requirente non sit attendendus, confessio-

nem

nem autem etiamsi non ad condemnandum, tamen ad torquendum sufficere,

*Quaest. V.*

Sicut remissio delinquentium ubi vis fere locorum in desuetudinem abierit: *Carpz. lib. 2. resp. 26. n. 14. uti & nos part. 2. quaest. 2.* hujus dissertationis demonstravimus, ita neque tunc ei locum esse, quando iudex inferior à superiore remissionem desiderat, quia curia major inferiori nunquam remittit: *per text. in L. 13. ff. qui- bus ex caus. in poss. eat. & L. 22. ff. de appellat. & re- lat.* modo iudex major seu superior potest, causam coram inferiori jam coepta, avocare, aut cujuscunque appellationis occasione retinere: *Prosp. Farinac. in Prax. crim. lib. 1. tit. 1. quaest. 7. n. 33.* secus si hanc non habet potestatem. Caterum si remissio non petitur, ad eam iudex non est obstrictus quia non petenti, remissio non fit: *Jul. Clar. lib. 5. sentent. quaest. 38. n. 19. Prosp. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quaest. 7. n. 38.*

*Quaest. VI.*

Vulgaris est regula, quod inquisitio, contra illum, qui alias de eodem delicto, de quo inquiritur, fuit absolutus, formari non possit, & volenti iterum accusare seu inquirere in semel absolutum seu condemnatum, obstat exceptio rei judicatae: *L. fin. C. de custod. reor. L. 2. C. de except. rei judicat.* cum nulla regula tamen non tam firma, quae exceptionem non habeat, ita & haec per casum nostrum quoque tollitur. Potest enim & is qui de crimine aliquo civiliter fuit conventus, sive absolutus, seu condemnatus de novo mole tari ut poenam rei- publi-

publicæ solvendam luat quia civilis causa criminali præjudicium non facit: *per L. 1. C. quand. civil. caus. act. crim. præjudic. Bossius: in tit. de sentent. n. 77. Farinac. in prax. crim. lib. 1. tit. 1. quest. 4. n. 40.* ubi etiam dicit reum ab accusatore ipso de novo accusari, si ob non probatum crimen sit absolutus, si vero ob non commissum, ab eodem conveniri non posse, sed bene à tertio: atque hæc sunt quæ de remissione delinquentium pro instituti ratione hucusque differere, & quia omnes Criminalistæ jam dudum quam uberius de hac materia scripserunt, ut *Bossius Jul. Clar. Prosp. Farinac. Heigius, Carpovius & alii* quorum dicta à nobis hic tantum repetita, quod Studio recitare nolimus, quia per quos profeceris fateri non est dissimulandum teste *Plinio*, sed specimen ingenii esse, ait, ita & proposito ulterius in hac materia procedendi frenum Injicere, & quævis prospera fautoribus præcari.

F I N I S.

APPENDIX VARIARUM  
 QUESTIONUM.

Quest. I.



Imperatore in Statuum Imperii territorii præsentis, horum Jurisdictionis, quodammodo quiescat, & num cum quolibet statu, in qualibet Instantia ratione Jurisdictionis concurre possit? negatur:

C

Quest.

*Quest. II.*  
 An imperium sit majus Imperatore legitime  
 in regimine constituto, hoc est, num Imperato-  
 re sint superiores status & Proceres Imperii? ne-  
 gatur.

*Quest. III.*  
 Feudum an in dorem dari possit? affirmatur.

*Quest. IV.*  
 Ex pecunia dotali comparatum prædium an  
 fiat dotale? negatur

*Quest. V.*  
 An à summo Principe sive Imperatore tan-  
 quam male Informato, ad melius informan-  
 dum appellare liceat? negatur.

*Quest. VI.*  
 Judæorum Infantes an à vitis parentibus ad  
 baptisma Christianorum auferendi? negatur.

*Quest. VII.*  
 patri an competat usufructus in feudo à filio  
 acquisito; negatur.

*Quest.*



*Quest. IIX.*

Fidejussio an indifferentiter ad heredes transeat?  
negatur.

*Quest. IX.*

An Lex Mosaica de cultu divino die Saturni  
celebrando sit moralis an vero ceremonialis? re-  
spondetur ceremonialis.

*Quest. X.*

Dominus an feudum, in quo, quis expecta-  
tivam habet, alienare possit? affirmatur.

*Quest. XI.*

Successores & heredes tam sui, quam extra-  
nei, an, Injurias defuncto mediate vel immediate  
illatas, vindicare possint? affirmatur.

*Quest. XII.*

An libera Imperii civitates territorialem supe-  
rioritatem, & Jurisdictionem habeant? affirmatur.

*Quest. XIII.*

Pecunia lusu consumpta, an ab iplo qui eam  
perdidit, coëdici; debita quoque in lusu facta  
à creditoribus exigi possit? affirmatur.

*Quest. XIV.*

Advocatus injuriarum conventus, an exceptio-  
ne incompetentis actionis se tueri possit, quando  
Clientis jussu Injurias evomuit? affirmatur

*Quest. XV.*

Bona Ecclesiæ an alienari possint? affirmatur.


Territorialis Jurisdictio, an prescriptione  
acquiratur, & consuetudine? affirmatur.

Solus Imperator, an de feudis regalem digni-  
tatem annexam habentibus cognoscat, sive aga-  
tur de toto sive de parte feudi? affirmatur.

Reservato venditori dominio rei venditæ pro  
securitate pretii, distinctis terminis solvendi, an  
interitus rei totalis, si forsan ante domini abdi-  
cationem accidat, ad venditorem vel emptorem  
pertineat? responderetur ad venditorem.

Princeps vel Magistratus Christianus, si ab  
alio Christiano iniquè bello, & crudeli persecu-  
tione tam religionis quam regionis causa prema-  
tur, & se aliter tueri non valeat, an cum Turca,  
vel alio infideli foedus inire, & ab eo auxilium  
adversus alium Christianum Magistratum pete-  
re possit? affirmatur.

Investitura an per Procuratorem fieri possit,  
vel per filium adhuc minorem? affirmatur.







ULB Halle  
005 355 346


3



vd 18







1704, 11  
1 23  
25  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

REMISSIONE  
DELINQVENTIUM  
AD LOCUM PERPETRATI  
DELICTI,

Quam  
Approbante Magnifico JCTORUM Collegio in Alma & Peran-  
tigua Electorali Academia Erfurtenfi

SUB MODERAMINE

*Prænobilis, Amplissimi & Consultissimi,*

DOMINI

JOANNIS MATTHIÆ  
WINCOP,

p. t. Collegij Juridici DECANI, Phil. & J.U.D. Prof.  
& Praefecturae Electoralis hujatis Consulentiſſi,

PRO

*Summis in Utroque Jure HONORIBUS, & PRI-  
VILEGIIS DOCTORALIBUS*

*legitimè conſequendis,*

Solenni JCTORUM Disquisitioni in Auditorio Juridico  
Collegij Majoris ſubmittit

JOHANNES FRIDERICUS GRABO, Junior,

Saxo-Eiſlebiſſiſ ibique Advocatus,

Ad diem 29 Aprilis, 1704.

ERFORDIÆ,

Excudebat JOH. HENR. Groſch / Acad. Typogr.